

UNIVERSITÄT
PUBL.




1/
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15

Wd. 67.



- 1) Ludolph Hugo de Statu regionum Germaniae p.
- 2) Springer de pace religionis
3. Geisler de titulo: Nos dei gratia. dist. duae.
4. Schleanstem de gratia principis.
5. Weidlingü de iustiores controversiae iuris publici.
6. Thomasius de Statuum imperii potestate legislati: y ius
comune.
7. Boetiker de Secularisatione.
8. Naeuius de potestate principis circa iurisdictionem
et discipl. ecclesiasticam.
9. Gribner de iure legitimandi principum imperii.
10. Werner de ^{regali} iustigalium iure.
11. Rhetius de iure portuum.
12. Eichel de aucupio eiusq. iure.
13. Reichenberg de compendius principum ex iure Rom.
ad habitum territor. germanicorum.
14. Stigliz de imutabilitate primogeniturae.
15. Schoepfer de alimentis et dote filiarum nobilem.
16. Ziegler de iure exigendi collectas ad elocationem
filiarum illustrium.
17. Mencke de insidiis vasalli in dominum.
18. Idem de feudo ex pacto cum simultanea investitur
alienabili.
19. Conradi de iure retractus in bonis Meierdingis.
20. Thulemarius von der fugl. Orden St. Georgii in Blantz
Fogelbunde
21. Kirchneri de pabbia



17
AUSPICE DEO

De

Jure exigendi colle-

ctas ad elocationem filiarum

Illustrium

von

Fräulein = **S**teuer

EXERCITATIONEM ACADEMICAM

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO

DN. CASPARE ZIEGLERO,

Jcto, Antecessore, Consiliar. Elect. Sax. nec non Facult.

Jur. Ordinario ac Seniore Gravissimo,

DN. PATRONO ac PRÆCEPTORE

suo reverenter colendo,

ex consensu

Inclyti Jctorum VVittenbergens. Ordinis

Ad d. XXVII. Febr. A.M. DC. LXXXVI.

publicæ Eruditorum disquisitioni

submittit

A. & Resp.

Wolff **G**aul **S**teinhäuser

WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

||

Auspice Dno

De

Jure exigendi colle-

gas ad elocationem huius

Illustrum

1701

Stimulium - Stimulium

EXERCITATIONEM ACADEMICAM

PRÆSIDE

PYRO MAGNifico

DN. CASPARE



JACO, Anrectore, Consilio. Sax. nec non Facult.

Ordinario ac Seniore Gravissimo

DM. PATRONO ac R. RECTORI

pro reverentia salutem

ex contentis

Inclutit Scitum Vvitenbergeni Ordinis

AN XLVII. FEB. A. M. D. C. LXXVII

publice huiusmodi divisioni

submitti

A. G. Resp.

Stimulium - Stimulium

WITTEBERGA

Typis MATTHÆI HENCKELII AD. Typog.

11





A. & Q.
I.



Non præter rem *Tacitus*, neque quietem gentium, ait, sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi posse. *lib. 4. hist. c. 74.* Hinc sine dubio jus enatum est Principibus, ut plebi aliquid oneris in tributis pendendis imponerent. Ut enim sine iis securitas Reipubl. ac defensio expectari nequit: ita multi, dum tributum fugere conati sunt, in servitutis ignem se præcipitârunt, ut est apud *Job. Matthie de Contrib. c. 1. n. 35.* Quapropter cum correlativa sint *Schakung und Schutz*, & tum divino *Matth. VII. 25. Luc. IV. 12.* tum humano *l. 7. C. de Vectigal.* jure permissæ; iniquum non erit, ut Magistratus ob necessitatem & utilitatem publicam licitas imperet exactiones. *arg. l. 16. ff. de R. J.* Quas vulgari nomine *Collectas* appellamus.

II. Occurrit hoc vocabulum in *Auth. Item nulla. C. de Episc. & Cler.* Et derivatur à colligendo. Ciceroni usurpatur pro pecunia, quæ exigitur. *lib. 2. de Or.* Galli vocant *La taille, l' aide, le tribut, le peage*, Germani: *Steuer* / quod vocabulum generale est, *Anlage / Schoß / Schakung / Hülff Geld / Contribution.* Quod odiosum nomen legimus in *l. 32. §. 6. ff. de admin. tut.* Cui non dissimile est *Capitationis* illud. Parùm Svaviores appellationes invenire licet in *tit. C. de Indict. in tit. C. de Annon. & Tribut. c. 23. caus. 24. q. 3. ubi*

A 2

bi

bi Exactiones dicuntur. Blandis vocabulis exprimitur per *Collationem* 2. F. 6. *Subsidium*, *subventionem*, *auxilium*, *Preces*, quas quidem preces necessitate admittas esse, *Tacitus* docet. 16. *Annal.* etsi. Barbarè nominatur *Steura*, *Berna*. Hinc ortum esse comm. putant vulgarem loqvendi modum: *Einen Behren anlegen* / i. e. collectas indicere. *Schüz* J. P. Vol. 11. Ex. XI. tb. 3. lit. 4. Antiquas Collectarum appellationes vide-
lis apud *Caspar*, *Klockium de Contribut. cap. 1. n. 115. seqq.*

III. Sunt autem Collectæ pensiones ratione rerum s. fa-
cultatum & possessionum in usum Reip. à subditis exigenda.
Intelligo vocabulum *pensionis*, prout accipitur in *l. 3. pr. ff. de ann. legat.* ut nihil aliud sit, quàm præstatio rerum tem-
poribus & terminis divisa. *Becman in M. P. cap. 20. tb. 1.* Sub-
jectum constituunt *Subditi*. Quo ipso patet, Collectas dif-
ferre (1.) à *Donativis*, quæ sui juris populi ex pacto speciali sibi
aliquando solvere tenentur, non quidem in recognitionem
superioritatis, sed tranquillitatis publicæ gratia. Sic v. c. Pen-
sio illa, quam superioribus annis Rex Galliæ præstitit Regi
Svedicæ, ut durante bello assisteret sibi, tributum non est ap-
pellandum. Multò minus hoc nomine veniet ea pensio, quæ
Imperator Rom. Maximilianus II. 30000. aureorum à Selymo
Turcarum Sultano inducias pactus est. Quorsum vid. *Pia-
sec. Chron. p. 53. (2.)* ab illa pecuniarum oblatione, quam Domi-
no suo ex liberalitate præstant Vasalli, quam vulgò das *Præ-
sent-oder Donativ-Geld* appellamus. Collecta enim de re-
bus Allodialibus est præstatio Realis, *Præsent-Geld* autem ob-
ligatio personalis. *Carpzov. p. 2. c. 46. d. 35. n. 19.* Jus enim
Vasallagii non facit Subditum, *arg. c. 5. X. de judic.* Sed sub-
jectio propriè ex eo metienda est, an quis in territorio Domi-
ni domicilium habeat. *Henr. à Rosenthal. de Feud. cap. 5. con-
clus. 78. n. 4.*

IV. Jus

IV. Jus exigendi collectas est potestas imperandi præstationes illas, de quibus modò diximus. Idque ei tantum competit, qui summam in Republ. habet Majestatem. 2. F. 56. Ratio est, ne subditorum bona è contrario expilentur, & libidini cujusque sine imperio imperantis obnoxia sint. Vid. DN. Zieglerus de Jur. Maj. lib. 2. cap. 1. n. 16. & 17. ubi simul eorum rejicitur opinio, qui Collectas indicendi potestatem ad Jdictionem referunt.

V. Ex communi Dd. opinione vel *Ordinaria* sunt Collectæ, vel *Extraordinaria*. Quæ divisio fundata est in l. 6. §. fin. ff. de Muner. l. 6. ff. de Vacat. mun. l. 239. §. 3. de V. S. Ordinariæ certam, regularem ac perpetuam habent præstationem; l. 6. §. 4. ff. de mun. & bon. l. 5. C. de Annon. & trib. l. fin. C. de omni arg. desert. XI. quamvis non semper Stata atque annuæ sint, quales in terris Sax. sunt Schoß s. Schußgeld / quæ pro bonis immobilibus imponitur, sed *Temporaria* tantum, ut pontium, castellorum etcs. reparatio. It. Collectæ Imperiales s. Universales, Römerzug / Reichs Hülf / N. N. de A. 1542. §. Es sollen auch in fin. Item Collectæ ad sustentationem Camerae. N. N. zu Augspurg de An. 1566. §. damit auch diese Acht. Perpetuum enim omne id rectè dicitur, quod causa, actu vel potentia perpetuum est. Magnif. Zieglerus c. l. n. 14. Et ut ordinaria Collecta dici possit, requiritur, ut (1) à supremo Magistratu (2) ob causam ordinariam & successivam & (3) uniformiter imponatur. Klock. d. tr. cap. 2. n. 6.

VI. *Extraordinaria*, quas Galli vocant *Les tailles en certains cas*, Ferrerius in add. ad Gvid. Pap. qu. 57. necessitate & utilitate publica svadente, extra ordinem, & ex improvise imponuntur. l. un. C. de Vacat. mun. l. 8. §. 3. ff. eod. Ne hæ perpetuæ sunt; sed tamdiu durant, quamdiu necessitas easdem invexit. Limn. Jur. publ. lib. 2. c. 18. n. 35. arg. l. 43. ff. de vulg.

subst. L. un. C. de Caduc. toll. Quales sunt Indictiones bellicæ, Collectæ Turcicæ, *Türcken-Steuer* / Circulares *Creyßsteuer* / Accisa de Cerevisia *Tranck-oder Bier-Steuer* / Exactiones Provinciales, *Landsteuer* / quæ non nudè in signum subjectionis & superioritatis, sed etiam pro fructibus & emolumentis Reip. ut & pro curis & laboribus, nec non pro compensatione expensarum, quas Domini & facere & pati debent, pro pace & quiete tenenda inter subditos & pro suâ dignitate servandâ exiguntur, prout ferè loquitur *Simon de Pratis Consil. 100. n. 1.* Qvò sigillatim spectant illæ, quæ ad elocationem filiarum *Illustrium subditis indicuntur. Die Fräulein-Steuer.*

VII. Hæc cum in Praxi frequentes sint, & multis implicatæ controversiis, operæ pretium esse duximus, ut expositis iis, quæ ad generalem Collectarum explicationem pertinere videbantur, speciatim earundem naturam perlustremus.

IIX. Ut autem rem ab ovo, quod dici sivevit, exordiamur, disquisitioni sumus primùm : *Ex quo loco natales suos hoc jus arcessat ?* Quod quidem certò definire non ausim, eò quod ubique ferè receptum esse videamus. Servari in plerisque Galliæ Provinciis, testis est *Argentæus in Consuet. Ducat. Britan. artic. 87. not. 1. n. 1.* Idem obtinet in regno Sicilia, ubi Rex hoc casu quinqve millium unciarum auri summam exigere à subditis valere perhibetur à *Mar. Muta in Capit. Regn. Sicil. c. 6. & 7. tom. 1.* Neque in Angliâ id ignotum est, ubi à tempore Henrici I. ad nostram ætatem Reges eo usi sunt. In Sveciâ Regem pro maritagio filia 100000. thalerorum præter suppellectilem exigere posse, docet *Autor Thesauri polit. in relat. de regn. svec. pag. 326.* Simile custoditur in Burgundia Aquitannia & aliis locis plurimis, uti videre est apud *Boër. decis. 126. n. 2. sqq.* In Germania quoque sic usu venire, præter *Mynsinger. cent. 5. obs. 21.* evidentissima probat experientia. Et, si rectè colligo, videtur ejus origo repetenda vel à Romano-

mano-

manorum clientibus, quod confirmat *Plutarch. in Romulo*; vel, quod verosimilius est, ex illâ parte juris, quæ de libertis est. Hi enim quia sub clientela Patronorum erant, idcirco iis observantiam debebant, & si necessitas postulabat, ad dotandas eorum filias munera conferebant. Quod patet ex *l. 7. §. 3. de oper. libert. l. ult. ff. de liberal. caus.* Quorum munerum *Terentius in Phorm. Act. I. sc. 1.* ita meminit: *Herilem filium duxisse audio uxorem: credo munus hoc corraditur.* Add. *l. 13. §. fin. de Admin. tut. l. 1. §. 5. de tutel. & rat. distrabendi* Hinc probabile est receptam fuisse, ut Vasallis & subditis ex conventionne vel præscripta consuetudine Patroni collectas imponere soleant.

IX, Magna inter Dd. contentio est: *An jure subditi ad e-locationem filiarum illustrium teneantur conferre?* Affirmantium funem ducit *Roffredus Beneventanus in tr. ordinis judicarii p. 5. rubr. de Sacramentis p. 364.* quem sequuntur *Ludolph. Schrader, tr. Feud. part. 6. cap. 6. n. 102. Jacobin. de S. G.* Negat verò *Rosenthal. d. tr. c. 5. concl. 77. n. 4. Klockius de Contr. cap. 8. n. 27.* & alii. Illi fundamentum ponunt (1.) in utilitate & tranquillitate publicâ, quæ svadet, ut urgente singulari necessitate jura Majestatis præter modum ordinarium exerceantur. Jam v. jus indicendi tributa Majestatis est, cum quo concurrere deinde dicunt dominium eminens, quando ex singulari necessitate enormia planè indicuntur tributa. Ergo, &c. Accedit *l. 2. ff. de jur. dot. l. 32. §. 2. de Condict. Indeb. (2.)* in eo, quod Pater de necessitate teneatur dotare filiam. *l. 19. ff. de R. N. l. ult. vers. utramque C. de dot. prom.* Ne ergò tali dotatione diminueretur patrimonium & dignitas Domini, subditos asserunt ad præstandum Domino subsidium esse obligatos. Hi verò, negantes sc. sententiam suam stabiliunt (1) ex eo, quòd neque ulla lex, neque Constitutio neque feudalis consuetudo præcipiat, ut subditi tunc;
cum

cum agitur de filiâ in matronium elocandâ, suo auxilio Domino subvenire cogantur. Erubescimus autem sine Lege loqui. *Novell. 18. cap. 1.* (2.) qui dotem foeminis constituere is tantum cogatur, quod Legibus expressè jubetur. Ita e. c. nec Mater tenetur dotare filiam *l. 14. C. de jur. dot.* Nec frater sororem. E. multò minus Vasalli Domini filiam. (3.) Allegant causam Hanau contra Hatgau coram tribunali Camerae Imperialis A. 1590. agitatum, ubi probatum non fuit, quòd simili in casu subditi collectas praestitissent, referente *Rosenthal. cap. 5. concl. 77. lit. c.*

X. Meâ sententiâ Princeps collectas tales omnino imponere potest, *non quidem ipso jure*; sed tùm demum, quando vel cum consensu subditorum id facit, vel longissimâ consuetudine sive immemoriali praescriptione jus collectandi acquisivit. Sic in *Consuetud. March. ex edit. Scheplizii part. IV. Tit. 12.* von der Landsteuer legimus seqq. Es ist aber die Landschaft / der Landbethe und steuer befreyet worden A. 1472 durch den Churfürst Albertum, ausgenommen 3. Fälle: (1.) wegen geschehener grosser Niederlag / 2. wegen eines Land-Kriegs / und (3.) zu aussteuerung der Herren-Fräulein. Sic quoque Illustrissimo I. Duci H. in investitura jus imponendi collectas pro maritandis filiabus concessum est, & ipsi confirmatum A. 1593, Cùm enim eo tempore inter Ducem H. & Status provinciales Ducatus H. controversia hæc ventilaretur, ita rescriptum est: Und wir vernehmen / *re. zu geschweigen / was etwan der Unterthanen verweigerte Erbhuldigung und abgeschlagener Fräulein Steuer vor gefährliche und der Obrigkeit präjudicirliche vorthell und Eingang dem löbl. Hauf H. bringen / und auff die Nachkommen mit sich ziehen möchte; Als haben wir nicht unterlassen wollen. re. Vid. plur. Consil. Marburg. 35. vol. 3. n. 41.*

XI.

XI. Quæ tamen Consuetudo generalis non est, nec proinde ad Juris necessitatem trahenda. Ex quo colligimus, quod, ubi neque consuetudine nec privilegio nec conventionem hoc jus introductum est, ibi temerè eò uti non possit Magistratus. Id quod patet ex Responso Scabino- rum Lipsiens. M. Jul. 1662. ad Consultationem H. H. M. Graffens zu Stolberg. P. P. Haben vor wenig Jahren zwey E. Gräfl. Gn. Baasen und Fräulein von Stollberg/so E. Gn. im dritten Grad ungleicher Linien mit Bluthfreundschaft ver- wand/sich verhehliche/und die älteste Ew. Gr. Gn. Herrn Bru- dern/ Heinrich Ernst Graffen zu Stolberg/ die jüngste aber Fürst Lebrechten zu Anhalt Plöskke geheurathet/ darüber ge- wisse pacta dotalia auffgerichtet/ und von E. Gr. Gn. beneben- dero Herrn Bruder darun einer jeden 4000. Gfl. pro dote dergestalt versprochen/und solch quantum von dero gesambten Unterthanen einzubringen zugesagt/ worauff auch/ auf besche- henes andeuten/ Graff Heinrich Ernstens Unterthanen ihr antheil abgeföhret/ E. Gr. Gn. Unterthanen aber haben sich dessen geweigert/ und daß der Fräulein H. Vater ausser der gesambten Hand kein Recht gehabt/sie hät- ten auch solche Steuern niemahls gewilliget / und wären in possessione libertatis, vorgeschützt/hätten auch von Chur- und Fürstl. Sächß. ober Hoffgericht zu Leipzig deswegen Inhibition ausgebracht/ &c. Vid. Job. Philip. lib. 3. Eccl. 13. n. 5. Caveat igitur Princeps, ne aliquã innovationem vel violentiam subditis inferat. l. 23. §. 1. vers. Caveant. C. de Agric. & Censit. lib. 11. l. 3. C. de stat. & imag. t. t. C. Ne Rusticus ad ullum offic. lib. 11. l. 10. l. 11. C. de SS. Eccl. t. t. C. Vectigalia nova institui non poss. Si- quidem ante omnia Princeps proprium debet excutere marsupium, reditusque suos ordinarios expendere; quàm ad Extraordinarias hujusmodi exactiones deveniat, ne Ty- ranni

ranni speciem præ se videatur ferre, nevé plebejorum animos exulceret. Cives enim istis floribus non sunt ab-
similes, qui leniter contracti suavissimum odorem spar-
gunt; sed si duriusculè comprimās, odorem adeò insua-
vem ac capiti noxium diffundunt, ut ex eo facilè vertigi-
nem contrahere liceat.

XII. Diximus Reges, Principesq; superiores hoc jus,
si consuetudo ferat, justè exercere posse. *Sed fortè aliud
observabitur in iis, qui à Principibus feudum, sed absqve
jure Regalium impetrarunt?* quales Duces, Comites &
Barones Germania nostra non paucos numerare potest.
Videtur dicendum, quòd sic. Quia enim tantum merum
& mixtum imperium habent, cujus respectu non nisi
voluntaria collecta constituitur, *arg. l. un. C. de Superindict.
lib. 10.* non poterunt exigere collectas, nedū extraordinarias.
Et refert Bodinus ordinationem Moliens. ubi Carolus IX.
Francorum R. vetat Collectas à subditis exigi, additq; ejus-
modi jura tanquā publica & soli Principi reservata præscri-
bi non posse. Contrarium tamen verius est. Neqve
opposita ratio quicquam efficiet. Cùm, si de jure loquamur,
neqve Regibus ipsis & Principibus superioribus charitati-
vum hoc subsidium à Vasallis deberi, certum sit. Sæ-
pius enim diximus, ejusmodi Collectas tantum consue-
tudine vel pactis, vel necessitate urgente, ob Principis
fortè tenuitatem imponi. *Cic. 2. Offic.*

XIII. Hinc complures familias tam in Germania,
quàm in Italia aliisque locis hanc potestate videmus uti.
Boër. decis. 126. n. 2. in tantum, ut hoc postea per con-
suetudines & pacta ad Nobiles quoque sit traductum. Et
quidem quòd Consuetudinem concernit, communis Do-
ctorum regula est: Etiam si quid jure non valeat, tamen,

sa

si de facto observetur, in disputationem vocari non debere.
Joh. Köppen, Decis. 32. n. 18. Omnis enim hic vis in con-
suetudine sita est, & ubi hæc consuetudo non est, ibi jus
illud locum non habet. *Schulz. Synops. Inst. Tit. de his,*
qui sui vel al. vers. Effectus. Sic de se ipso testatur Gvido
Papa, quod homines villæ suæ S. Albani ipsi dederint 30.
florenos, cum filiam suam Franciscam elocasset Nobili
Gvidoni de Dorgesia. *Vid. Gvid. Pap. quæst. 57. n. 3.* Ne-
que dubium est, quin pacto ad id adstringi queant subdi-
ti, cum ea pacta, quæ non sunt contra bonos mores, ser-
vanda sint *l. 7. §. 7. ff. de pact. cap. 2. de Supplend.*
neglig. in 6. Quin imò testatur & cit. *Köppen. d. l. tale*
subsidiium, quod Baronibus, Nobilibusquæ fit, in Mar-
chiâ vocari *Orbede.*

XIV. Quod attinet Principes, Duces & Comites
Apanagiatos, *abgefundene/ oder verziehene Herren* / eos hæc
Consuetudo nil juvat: Quoniam ipsis Lege pragmaticâ
tanta alimonix provisionalis assignatio facta est, ut pro
dignitate generis vivere possint. Hinc quia à regno sunt
segregati, ad exemplum filiarum elocatarum nihil pro se
suisquæ amplius petere possunt. *Vid. Ernest. Cottbman.*
Consil. 3. & 4.

XV. Nova exurgit quæstio: *An in illis locis, ubi*
talis mos increbuit, Collecta solvi debeat tantum pro unâ
filiâ nuptui dandâ? Quod quidem omninò asserendum
videbatur, cum odiosa strictè accipi, neque ad casus ver-
bis non expressos extendi debeant. *C. 22. de Elect. in 6.*
Sed rectè negat hoc *Matth. de Afflict. decis. 265.* & reli-
quis quoque competere filiabus hoc jus nullus dubitat, ex
Annalib. Franciæ demonstrans, Philippum Pulchrum pro
dote secundæ filix Isabellæ, quæ Regi Angliæ nupsit,

tributum subditis indixisse. Eodem jure usum Fridericum II. testatur *Ferrer. Addit. ad Gvid. Pap. qv. 57. p. m. 66.* Ubi addit hanc opinionem pluribus Jctis & Arrestis Parlamenti Tholos. approbatam esse, & sigillatim extare Arrestum pro Domino *de la Brosse* contra subditos suos. Hinc colligo in iis locis ubi ejusmodi consuetudo viget, non obstante priori ratione, pro omnibus filiabus elocandis collectas exigi posse. *Matth. Steph. in discurs. Acad. 7. vol. 1. tb. 13.*

XVI. Cæterum hoc intelligendum est de primâ nuptiarum vice. Nam si filia ad secunda vota transeat, subditi ulterius non conferunt: Sed illa priori dote contenta erit. Fundamentum hujus assertionis est in *l. 89. §. 1. ff. de V. S.* Ex quâ lege Dd. regulam conficiunt, sermonem simpliciter prolatum de primo intelligi, s. primo actu finiri, e. g. Si cui res eâ conditione legata sit, ut, si eam legatarius perdiderit, heres rursus præstet; hic eam, si fortè amissa fuerit, semel præstando liberabitur. *l. 11. §. 18. ff. de Legat. 3.* Quâ de re vid. *Goedd. ad d. l. 89. n. 2.* Casus igitur filiaë elocandæ est quidem reitabilis in personis plurimarum filiarum; non autem unius filiaë. *Steph. c. 1.*

XVI. *Quid autem juris, si filia sit Naturalis?*
Resp. De jure Can. quò Pater & alere & dotare eam tenetur. *c. 5. in fin. X. de eo, qui dux. in matr. quam poll.* eòdem beneficio frui videtur filia Illegitima, si Dominus ex suo Patrimonio commodè ipsi dotem constituere nequeat. *Schrad. p. 6. cap. 6. n. 102.* A quo tamen alia jura secessum faciunt. Nec malè. Concessò enim, dotem hanc alimentorum loco succedere; non tamen exinde

inde sequitur: E. Vasallus dotet. Cum Vasallus alimenta Domino non debeat. Quod ita probat: Si tunc, cum Dominus jurato promisit alicui quid solvere, Vasallus non tenetur eum liberare à periculo animæ; multò minùs poterit cogi ad liberandum Dominum à periculo Corporis ratione alimentorum. Siquidem animæ hominum quibuscunqve rebus præferuntur. *l. 21. in fin. C. de SS. Eccles.* Sed prius est. *2. F. 26. vers. Licet Vasallus E. & posterius.* Quod si verò Vasallus non tenetur Domino alimenta præstare; multò minus exhibebit filiæ, & adhuc minus Illegitimæ. Nec enim ubiqve cum detrimento suo Domini utilitatem promovere debet Vasallus. Secus est, si consuetudine, conventionem aut præscriptionem aliud sit introductum. *Godofr. Anton. Disp. Feud. 7. th. 9. tit. g.*

XVII. Quod si verò Pater obierit, relictâ filiâ, filiòqve successore, quæritur: *An tunc pro elocandâ sorore filius ad instar Patris subsidium charitativum exigere valeat?* Præsuppositis cæteris requisitis affirmare id non veremur. Mors enim Patris filiæ præjudicio esse non debet; multò minùs ipsi auferre favorem, vi cujus ex publicâ collectâ dotem sperare poterat. *Petr. Friderus lib. 2. mandat. cap. 45.*

XIIX. Id dubitationem adhuc recipit: *An hæc consuetudo ad nuptias quoque filii extendi possit?* Affirmandi rationes sunt (1.) quòd filius non debeat esse deterioris conditionis, quàm filia, (2.) Quòd, quemadmodum masculinum includit fœmininum, *l. 2. ff. de V. S.* ita fœmininum in se quoque contineat masculinum. *§. 16. f. de R. D. l. 5. §. pen. ff. de A. R. D. l. 4. §. 1. de Legat. 1. l. 19. ff. de Cond. & dem.* Verùm has tanti esse

momenti non existimo, ut communem eamque verissimam Dd. sententiam labefactare possint, quâ Dominum nihil petere posse pro nuptiis filii constanter asserunt: quoniam tùm dotem non expendat, sed accipiat. *Sebrad. cap. 5. concl. 79. n. 5.*

XIX. Sunt & aliæ collectæ Extraordinariæ, ad quas Domino Vasallus obligatus est: Siquidem conferre is tenetur pro redemptione Domini, si ab hostibus captus sit: Tenetur ad æs alienum fortasse ex facto & culpa Vasalli vel in ejus commodum contractum: & quæ his sunt similia. Sed eas in præsentī exponere, alienum à nostro instituto est. Nobis enim sufficit, potiora capita pensionis, quæ pro elocandâ Principis filiâ, à subditis exigitur, non pro materiæ dignitate quidem, pro viribus tamen exposuisse.

XX. Cæterum quæ hæc de materiâ breviter simpliciterque scripsi, ea confido, non planè improbata esse omnibus. Quod si fortè quid imperitè factum, quod homini commune est, *arg. l. 44. ff. de acqu. poss.* id ut ætatis infirmitati partim, partim verò perexiguo temporis spatio, quod mihi iter meditati relictum fuit, ascribatur, ab æquò Lectore magnoperè contendo.

Deo sit Laus & Gloria!

LORO.

COROLLARIA

EX JURE NATURÆ

Jus naturæ & Gentium differunt.

EX JUR. CIVILI

Pupillus, cujuscunque ætatis sit, sine Tutoris autoritate ne quidem naturaliter obligatur, nisi ubi locupletior factus est. L. 59. de O. & A. vel ubi dolum commisit. L. 37. §. 1. in fin. de minor. vel ubi actio ex re venit. L. 46. de O. & A.

Pactum Creditorum plurium præjudicat privilegiatis. L. 7. §. ult. L. 8. seqv. ff. de Pact.

EX JURE CANONICO

Juramentum, quod sine dispendio salutis æternæ servari
po-

potest, servandum est. c. cum contin-
gat. 28. X. de Jure jur.

*Furamentum contra bonos
mores non est obligatorium.*

c. 58. de R. J. in 6to.

EX JURE FEUDALI

*Vasallus regulariter de re
feudali testari nequit.* 1. F. 8. cap. 1.


*Filius naturalis ad successio-
nem feudi non admittitur.* 2. F.
26. §. naturales.


EX JUR. SAXON.

*Jure Saxonico non nisi duæ
habentur species præscriptio-
num: una Annalis, binnen Jahr
und Tag / altera Tricennalis, bin-
nen dreßsig Jahr / Jahr und Tag.*

LandR. lib. 1. art. 28. & 29.

§ (o) §





Kh 1694

ULB Halle 3
002 163 39X



56.


VOA7



DISSERTATION

VON





AUSPICE DEO
De

Jure exigendi colle- ctas ad elocationem filiarum Illustrium

von

Fräulein = Steuer

EXERCITATIONEM ACADEMICAM

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO

DN. CASPARE ZIEGLERO,

Jcto, Antecessore, Consiliar. Elect. Sax. nec non Facult.

Jur. Ordinario ac Seniore Gravissimo,

DN. PATRONO ac PRÆCEPTORE

suo reverenter colendo,

ex consensu

Inclyti Jctorum VVittenbergens. Ordinis

Ad d. XXVII. Febr. A.M. D C. LXXXVI.

publicæ Eruditorum disquisitioni

submittit

A. & Resp.

Wolff Paul Steinhäuser

WITTENBERGÆ,

Typis MATTHEI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

11